

laxioribus tantum tunicis induti, quo fieri poterat, ut vento tunicam agitante atqve inflante retegeretur sacra facientium nuditas. Sed cum inauditum apud Hebræos sit, sacerdotes sine femoralibus unquam ministrasse, rectius hanc rem explicat Jarchius in b. l. & scribit, si gradibus ascenderent altare sacerdotes crura divaricare debuisse, non aliter ac si nudi vellent conspici, qui modus incedendi a sanctitate & reverentia sacerdotum alienus erat.

THESIS XII.

Altare suffitus non habebat cornua tecta, (sicut nec altare holocaustorum) nec inter mensam & candelabrum versus sanctum sanctorum, sed versus portam templi orientalem ponebatur.

§. I.

Duo circa altare suffitus errores observantur, primus error hic est, quod cornua ejusdem pingantur tecta, cum tamen nulla cornua altaris, sive interioris sive exterioris tegerentur, sed omnia cornua essent aperta, ad palmi latitudinem formata. Non immorabimur in præsens *Spenceri sententia*, qui cornua altaris fuisse curvaturas ex ære ad cornuum tauri vel arietis figuram factas opinatur in libro de legibus Hebræorum ritualibus, edit. Cantabrigiæ in fol. f. 562. seqq. utpote quæ sententia nullum re-

D

perit